DE NEXU PATHOLOGICO, QUO ORGANA CHYLOPOËTICA CUM GENITALIBUS INTER GRAVIDITATEM TENEANTUR.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVI. M. MARTII A. MDCCCXLVI
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

BERNHARDUS ZIELENZIGER
ARNEBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:
MAURIC. SACHS, MED. ET CHIR. DR.
MAX. SERLO, MED. ET CHIR. DD.
BARTH. SIMON, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI
TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, HUMANISSIMO

J. H. SCHMIDT,

REGIS BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE UTRIUSQUE PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA ET IN INSTITUTO MEDICO-CHIRURGICO FRIDERICO-GUILELMIANO, OBSTETRICII ET SYPHILITICI CLINICI DIRECTORI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN QUARTA CLASSE EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC.

PRAECEPTORI SUMMOPERE VENERANDO

AC

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Priusquam de iis, quae nobis proposuimus, plura dicamus, nonnulla de nostri thematis ambitu, tum de ordine ac legibus, quas in evolvendis et formandis organis natura sequi soleat, explicare non alienum mihi videtur: altera enim re determinanda omnia, quae casu et fortuito eveniunt et alio quoque tempore eosdem effectus provocant, uti sunt laesiones, compressiones, contusiones, alia id genus, jam excludimus, alteris vero utemur eo consilio, ut non modo facillime, sed etiam apertissime et clarissime, quo modo et quo in ordine natura evolutionem sexus muliebris perficiat, intelligamus. Nam quum graviditate evolutio feminea ad summum fastigium efferatur omniaque tentamina ac molimina, huic periodo praegressa, ad foecundationem optime praeparandam facta videantur, aliam quamque hujus rei explicationem, nisi legibus evolutionis firmatam, incompletam, abruptam, vel etiam falsam existimamus. — Quod nostri thematis ambitum attinet, hoc

in libello minus singulos morbos eorumque decursus nominare, quam eorum caussas legibus physiologicis, anatomicis et pathologicis explicatas et determinatas referre instituimus, quae res propter artis physiologicae et pathologicae difficultatem magna sane et perdifficilis mihi videtur, eamque sumsi fortasse inconsiderate nimis nec satis prospiciens „nostri quid valeant humeri, quid ferre recusent." At quantum in me est, operae et diligentiae in hoc studio ponam. Jam vero, quia ad rem explicandam omnes corporis feminei mutationes enarrare longum foret, eas tantum generatim persequemur, quae graviditatem proxime antecedunt et tam constanter cum ea conjunctae occurrunt, ut nisi summa injuria ab ea separari non possint, iisque non praegressis graviditas fere nulla cogitari queat; tum singillatim leges, quibus morbi organorum et assimilationi et reproductioni praepositorum percipiendi sint, diligentius explicabimus.

SECTIO PHYSIOLOGICA.

De modo et ratione evolutionis femineae.

Fere omnes, qui morborum indagationi majorem operam dederunt, inter se consentiunt organa praecipue iis stadiis, quibus a natura magis excolantur et evolvantur, rebus damnosis, imo etiam levissimis celeriter affici, eoque modo et gradu, quo infestata

sint, excitari [1]). Qua observatione ducti contenderunt organa non solum, quo excultiora, sed etiam quo magis ad sustinendam vitam necessaria, quo valentiora ad materiem corporis nutritivam et excretivam parandam [2]), quo arctius et firmius cum aliis corporis humani partibus connexa, quo vehementius magisque vicibus rerum externarum et naturae exposita sint, eo crebrius, celerius, facilius morbis diversissimis implicari, disturbari, destrui. Quae quidem omnia primum evolutione physiologica et physica, tum singularum partium vigore et gravitate, denique rebus reciprocis, quibus singula organa cum ceteris ejusdem corporis, aut cum externis noxis tenentur, intelligi possunt.

A tenerrima enim usque ad summam hominis aetatem certas semperque easdem leges natura sequitur, quibus jam foetus alitur, augetur, crescit, infans convalescit, juvenis et vir ad summam et animi et corporis virtutem et pulchritudinem producitur, quibus denique, vita rursus decrescente, vis et vigor vitalis sensim sensimque deminuitur, donec organismus anima destitutus prorsus dissolvatur. Itaque foetali et infantili stadio eximia assimilandi et reproducendi virtus et vitae animali, quam dicimus, et superioribus animi mentisque viribus, tunc quasi somnio captis praevalet; tum infantum ossa, caput, tubus

---

1) Schoenlein's Vorlesungen. Theil I., p. 133.

2) Ibidem.

digestorius et, quae ei adhaerent, organa; juvenum et virginum omnia, quae irritabilitati, sensibilitati, respirationi et reproductioni genitali inserviunt, maximam acquirunt perfectionem, quae per florentem sic dictam aetatem summa cum individui valetudine conservatur. Quo vero tempore id fieri solet, nervorum vires summum fere tensionis gradum accipiunt, sanguis fortius ad locum elaborationi dicatum propellitur et ab eo reducitur, ejus nutritio et permutatio organica crescit, communicatio inter solidas et liquidas partes fortissima evadit; paene totum corpus ad hanc evolutionem tensum majori et sensibilitate et irritabilitate induitur; quamobrem noxis externis magis subjectum facilius irritatur et aegrescit; irritamenta alias innocua, levia, durante evolutione, non aeque atque antea propelluntur, sed majus consequuntur momentum difficiliusque perferuntur. Quod quidem in evolvendis, etiam in reformandis partibus videmus. Itaque homines eo tempore, quo organa quaedam vel in progrediente vel in regrediente metamorphosi versantur, maxime ad morbos praedispositos esse, haud injuria affirmari potest. Nec minus vera videtur altera opinio, quam Carus in Gynaecologia sua[1]), de legibus actionum vitalium disserens, commemorat, systemata scilicet vegetationis, quo perfectiora et efficaciora, eo magis morbis obnoxia esse eodemque gradu facilius affici,

---

[1]) Gynaecologie, von Carus. T. I. §. 326.

quo eorum vigor et gravitas augeatur. Nam quum functiones eorum tunc ceteras energia quasi superent et propterea, quod valentiores sunt, altius et acrius in intimam corporis machinam descendant totamque potestate sua sibi tamquam subjiciant, facilius impressiones ceterarum partium sibi adducunt, imo etiam, majori assimilandi vi ductae, morbos alibi jam ortos recipiunt et ipsae aegrescunt. Huc adde, cetera systemata, quia, quantum illa energia proficiant, tantum deperdere soleant, minorem externis rebus, tempestatibus, aëris mutationibus, aliis id genus, resistentiam opponere et noxas ipsis minus periculosas in illa deducere; quod est satis, cur facilius infestentur et incommodentur. Unde multi et frequentes digestionis morbi, qui apud infantes observantur, unde apud feminas mala organorum sexualium permulta, unde per hiemem et juvenili aetate pulmonum, per aestatem et virili aetate hepatis et lienis affectiones[1]). Quae omnia, si quis conjecturis locus conceditur, simili analogia explicari possunt, ac cur quis aliqua ex parte laborans, aut vulnere laesus, hic saepius quam alibi morbo afficiatur viribusque infaustis locum minus resistentem praebeat. Id vero ne obliviscaris, admodum volo, functiones, quo extensiores et graviores sint, eo altiores laesiones turbationesque non solum organi primum affecti, sed totius fere corporis secum du-

---

1) Schoenlein's Vorlesungen, p. 134.

cere; nexum et harmoniam violentius dissolvi, restitutionem in integrum difficiliorem reddi ac saepissime protrahi, saepius etiam irritam fieri. Inde quidem tales morbi propter velocitatem, qua alia organa corripiunt, aut acutius decurrunt, aut propter vires gradatim decrescentes diutius durant; semper vero omnes, sive sunt acutiores sive chronici, vitam admodum debilem et ad pathemata proclivem derelinquunt, et, ni summa ad vitam quam citissime et perfectissime restituendam opera adhibita, sensim characterem organi aut ab initio, aut per consensum sive antagonismum ingravati prae se ferunt. Propterea plerique morbi inter feminarum evolutionem et efflorescentiam nati genitalium proprietates commonstrant.

De assimilatione et reproductione gravidarum.

Haec omnia, quae hucusque dicta sunt, non inconsulto nec temere, sed quia fundamenta omnium morborum inter graviditatem et post eam mihi videntur, praemisi. Sequatur nunc altera pars, qua peculiaria quaeque et propria feminarum brevi quidem et presse, at quam possumus accurata et diligenti recensione perstringemus, quibus rebus praecognitis planius certiusque patebit aditus ad noscendam morborum naturam multiplicemque originem. Quis enim morbum, ejus caussas effectusque mente assequi possit, aut opportunis adjumentis corpus

integrum servare aut labefactatum restituere, nisi fabricam hominis sani, facultates, vires, actiones functionesque naturales prius cognoverit? Atque ut ab iis rebus, quibus gravissimae partes in morbis nascendis dandae sunt, exordiar et medias in res jam incurram, duae functiones vitales uberius fusiusque explicandae mihi videntur, assimilatio et reproductio feminarum inter graviditatem et post eam, quibus, quantum per finem et brevitatem nostri sermonis licet, pertractatis, pleraeque gravidarum peculiaritates jam sua sponte evenient et emanabunt. At tu fortasse mihi rem exordienti respondebis, me non satis didicisse, istas functiones omnino separari non posse, sed simul et una semper cerni utroque in corpore existere, unamque sine altera nec esse et ne cogitari quidem posse. Assimilatione quidem si intelligi vis eam animantium facultatem, qua nutrimenta extrinsecus recepta ea, quae ipsis adhuc inhaereant, peculiaria amittant et qualitates sive naturam organismi assumant, quod nos vocamus regenerationem e rebus externis, aut qua humores utiles et necessarii jam praeparati ad restituenda et servanda organa adhibeantur et consumantur, quod regeneratione organismi per se communiter significatur, re ipsa satis comprobatur, nutrimenta et externa et interna, ut ita dicam, eodem, quo se exuunt, natura sua, momento qualitatibus organismi se induere sive, quod idem est, organismum vitali actione quidpiam sibi necessarium procreasse et semet ipsum

regenerasse. At quia animalia per totam vitam regenerari debent, ubique assimilatio et reproductio simul et una ob oculos veniat necesse est. Sed si illa assimilationem a Stark universalem dictam comprehendimus, hac contra eam facultatem, qua quum vita propria regeneretur, tum aliquid producatur, quod non immediate ad servandam corporis totalitatem et unitatem necessarium sit, et tamdiu tantum una cum organismo existat, usque dum perfecte elaboratum sit atque maturuerit, tum vero utpote alienum excludatur et expellatur; tamen de his duabus actionibus speciatim et singillatim agere nos licet. At multum interesse inter assimilationem primariam sive generalem et secundariam sive specialem vel particularem Stark luculentissime evicit, et quemque sine negotio cognoscere licet in iis, qui, dum organa chylopoëtica interdum bene se habent, tamen atrophia cujusdam partis laborant; unde etiam Vogel [1]) sedem, causam et naturam scrophulositatis explanans eam in nimia chyli praeparandi vi positam esse contendit, nec tamen hoc in morbo assimilationem specialem vel regenerationem corporis e semet ipso valde deminutam et vitiatam esse quisquam ignorabit nec negabit. Sed qua re regeneratio gravidarum praecipue excellit? Aequitate sane et paritate et harmonia virium vitalium earumque fortitudine, intensitate et augmento ad tantum

---

[1]) Rust's Helcologie p. 160.

gradum, qui nunquam neque antea neque postea apud feminas neque apud sexum virilem inveniatur, quocum foetus, dum utero adhuc gestatur, ingens assimilandi virtus sola comparari possit. Jam vero facili negotio eruendum et constituendum est, quaenam sint organa istis actionibus praeposita? Primum sane ordinem obtinet systema chylopoëticum, secundum genitale, quae ambo cetera longe superant et quasi imperant, quae tamquam principium et finem circuitus omnium humorum significant, unde veniant et quo tendant: nec immerito, quia eandem vim et potestatem exercent et, tota humorum ambage et via ab eorum praeparatione usque ad mutationem plasticam fructui alendo aptam idoneamque respecta, longe inter se distantia videntur, poli, circa quos omnis gravidarum et puerperarum evolutio et reformatio vertitur, denominari possunt. Haec ista systemata tam arcto vinculo inter se nexa sunt et cohaerent, tam stricte ex se invicem pendent, ut non modo summa eorum virtute, agilitate et facilitate, verum etiam optima cum ceteris functionibus et organicis et animalibus harmonia ad graviditatem et puerperium [1]) feliciter evincendum opus sit, neque unquam, inaequali virium distributione, imminuta aut retardata aut cohibita actione unius altera non afficiatur. Hinc jam videre licet, uti pleraque alimenta atque nutrimenta, sic etiam plerasque affectio-

---

[1]) Frauenzimmerkrkht. von A. E. v. Siebold T. I. §. 43.

nes ad ista organa, quasi summum rerum externarum receptaculum decurrere ac confluere. Nec tamen quamvis omnium lympharum, quae foetui alendo opus sunt, quae ad gravidae ipsius subsistentiam servandam conteruntur, quae ad uberrimas partus et puerperii haemorrhagias ac secretiones sufficiunt, fabrica et fomes organa chylopoëtica sint, cibi vel potus appetentia tanta, quae cum ubertate et contritu humorum consentire videatur, evadit. Quo modo autem fieri possit, ut feminae, si corporis redintegratio [1]) e rebus externis potius minuta quam aucta vel eadem est, usus tamen virium et sanguinis in dies crescit et organa praecipue genitalia et abdominalia sanguine scatent atque exuberant, sine ullo incommodo vel detrimento has omnes mutationes, formationes, secretiones provocent ac comparent, neque virium consumptione destructae corruant ac pereant? Patent tres viae, quas inire possunt, una assimilationis augendae, altera deminuendae excretionis, quibus quidem conjunctis, quod apud gravidas et puerperas evenit, optime natura finem consequitur; excretionem enim inter graviditatem et puerperium partim decrescere deinceps videbimus. Exempla vero et historiae, quae de incredibili abstinentia et fere tota omnium alimentorum penuria narrantur, quamquam non raro veritatis ac fidei fines excedere videntur, tamen id satis certe con-

---

[1]) Carus, Gynaecol. T. I. §. 255.

firmant, omnia paene animalia formatione aliqua occupata perdiu inopiam et defectum ciborum perferre posse. Idem luculentissime nos docent erucae, quae per totum metamorphosis stadium neque edunt neque rebus externis se redintegrant.

Reproductio.

Jam ad alteram naturae femineae facultatem, supra utpote regenerationis partem dictam, devenimus, reproductionem scilicet et universalem et specialem, quae, quia praecipue sexui muliebri peculiaris deprenditur eique sive sano sive aegro multum proprietatis ac raritatis tribuit et proximae vi vitali permultis in rebus opponi potest, ne dissertationi nostrae jam a janua tenuitatis signum imprimatur, nullo modo hic praetereunda est. Uti enim in organis chylopoëseos assimilatur, sic hic formatur, illic extrinsecus recipitur, hic interiori vi secernitur, illic totalitati proprii corporis consulitur, hic novo individuo gignendo et gerendo prospicitur, uti denique illic prima producta facultatis plasticae, ita hic, quod natura efficatrix summum et pulcherrimum perficere potuit, elaboratum et excultum videmus. Sunt igitur post illa organa chylopoëtica genitalia, quae maxime et formantur et formant; formantur vero jam diu ante conceptionem simul et una cum elaborandis quum toto corpore, tum ceteris organis sexualibus, puta mammis, pelvi, aliis,

de quibus fusius et latius disseruit Siebold [1]). Id clarissime et perspicacissime probant menses certis vicibus regredientes, quibus natura non supervacanea atque inutilia solum corpore eliminare et expellere, verum, quod multo gravius et verosimilius est, uterum eique partes adjacentes ad summum perfectionis gradum provehere et feminae, ut facillime et optime graviditatem perferat, consulere studebat. Sensationes vel etiam dolores imi ventris, tumor, tensio, calor novam vitae periodum appropinquantem praenuntiant, qua uterus hucusque sine insigni atque aperta vitae actione pelvi retentus mortique simillimus, utpote supervacanea pars et appendix, jacens infimaque elaboratione organica praeditus ad novam vitam evocetur et ad finem suum propius adducatur. Ac re vera etiam post mensium fluxum uterum non rursus in rigorem et algorem istum relabi atque remergi, imo a primo mensium proventu pedetentim convalescere et vigore potentiaque crescere, malis sanguineis neuralgicisque jam inde saepius exorientibus, satis superque perspicitur. Multo tamen altior evehitur uteri virtus ac forma eo tempore, quo fructum concipit, gestat, alit, educit. Hic enim summus ac celeberrimus feminae finis [2]), quum pari modo et gradu et corpus et animus summa valetudine, integritate at-

[1]) Frauenzimmerkrkht. von A. E. v. Siebold T. I. §. 29.
[2]) Ibid. §. 42.

que perfectione gaudent, tum demum bene evenire potest. Ingeniosissime itaque Carus tres periodos graviditatis, partus, puerperii cum tribus vitae, efflorescentia scilicet, maturitate, decrepiditate comparans, istis primis duabus vitae splendorem et coronam tribuit; summa enim multorum vel periculosorum vel admodum deprimentium morborum immunitate fruuntur [1]), affectionesque organismo vel violentiori cum impetu jamjam minitantes, quia incommoda ac detrimenta productivitate sua facilius irrita faciunt ac recreant, non solum blandiores, innocentiores, mitiores reddunt, verum etiam majori cum intentione dissecant, occupant ac levant [2]); unde omnibus litterarum medicarum peritis satis cognita sententia, longe pleraque feminarum pathemata minus periculosa quam molesta ac protracta esse, multoque in prognosi sistenda saepius, quam apud viros, convalescentiam redituram sperare licere. Attamen semper genitalia noxis adventantibus maxime exposita sunt, nec, quamvis multis malis libera, isti, quam initio sermonis explicavimus, legi se subducere poterunt [3]). Nam etsi haec producendi virtus nequaquam ceterorum organorum functionibus, ita ut aegrescant, deminuendis vel debilitandis tantopere efferatur, tamen nihil est evidentius et planius,

---

[1]) Frauenzimmerkrkht., von A. E. v. Siebold. T. I. §. 42.

[2]) Carus, Gynaec. T. I. §. 79.

[3]) Mende T. I. p. 6.

quam facillimo negotio disproportionem atque dissensionem cum reliquis systematibus emergere illaque, quod medicis quotidie cernere licet, majori minorive gradu turbari et implicari. Sed quae optime nostram de hac re opinionem comprobant ingentemque gravidarum reproductionem explanare possunt, tam egregie a Siebold [1]) explicata sunt, ut, ne ab eo cogitata nec pari modo descripta hic cum legentium taedio repetam recitemque, ei, qui diligentius hac re se instituere velit, hujus librum evolvat atque perlegat, toto animo suadeam. Id vero memoratu dignum mihi videtur, ne credas istam paene incredibilem reproducendi facultatem esse prorsus novam, neque ex ceteris organis pendentem, nec cum iis arctissime conjunctam. Imo neque nova neque libera est, sed muliebri organismo innata atque insita; nulla enim vis ac nulla materia ullis vitae periodis nova vel non pendens dici potest; id neque cum rerum naturalium ordine neque nostra mente convenit. Nam quum natura infinita sit, nihil cogitari potest, quod non jam ab initio in ea exstiterit et aeque ac nihil novi oritur, sic quoque re vera nihil deletur aut evanescit, sed omnia, quae sunt, ab aeterno in aeternum manent, forma tantum pro variis naturae legibus commutatur et variatur. Uti enim res infinitae et aeternae, ita variabiles et perenni formationi obnoxiae sunt,

[1]) Libro jam citato 1. §. 47 — 49.

quo docemur materiem semper esse debere eandem, formam contra modo sub hac, modo sub illa specie occurrere posse. Sed quum nulla formae mutatio sit sine vi quadam formatrice, jam ante evolutionem facultas quaedam existat necesse est, quae, etsi ad excolendas singulas partes destinata, tamen nova et a cetero organismo discreta dici non potest. Nam eodem cum jure in nascendis novis organis semper ad novarum virium existentiam confugiens, quot organa tot vires numerares, quae vinculo communi carentes noxis irruentibus facillime et celerrime totum corpus distraherent et divellerent. Id parum verisimile est. Imo una est vis, qua omnia gignuntur, formantur, evolvuntur, quae germini humano jam inerat, antequam singula formata essent, quae eadem per totam vitam omnia creat, recreat, servat, quae infinita et non partita diversissimas partes tamquam unitatis membra producit, quae nascendo individuo semper revalescit et servando genere in infinitum tempus floret ac viget.

Nunc ab iis vegetationis functionibus, quae nostra opinione summos motus et humorum et nervorum virium dignoscere sinunt et legentibus aperiunt, quanam via morbi vegetationis inter se cohaereant atque ubi oriantur, quo tendant aut refluant, quamnam speciem prae se ferant et quas praecipue disturbationes cieant, ad ea, quae ex his mulierum peculiaritatibus continuo sequuntur, gradum faciamus brevique ac presso sermone haec singula ex-

planemus. Ac primum quidem inde sequitur, summam virium intentionem summumque lympharum affluxum, quo congesta et coacervata celerius assimilantur et conteruntur, illinc maxime dirigi; quod quidem ipsum, quia non sine aucta motione et propulsione sanguinis, qua in circuitum actus ad loca destinata defluat, fieri potest, praestantiorem cordis virtutem celerioresque pulsus supponit, unde, quod inter omnes satis constat, feminarum ictus arteriarum frequentiores quam virorum sunt. Deinde vero, quum propter majorem sanguinis combustionem gravidae multo magis quam viri natura tamquam coactae sint, uti plura extrinsecus sibi vindicent, earum et receptivitas et sensibilitas, sive ea nervorum facultas, qua irritamenta et externa et interna concipiuntur et ad sensorium commune perducuntur, quum universa, tum maxime nervi sympathici multo subtilior atque tenerior sit necesse est. Hic etiam, quod ex propositis quidem nequaquam exseri, sed ad ea aptissime asseri potest, ingentem uteri et gravidi et foetum jam enixi irritabilitatem sive se contrahendi vim in memoriam revocari velim nec quemquam oblivisci, ceterorum musculorum energiam sive virtutem *animalem*, quo melius ac fortius *vitalis* excitetur, debiliorem infirmioremque reddi. Facilius igitur femina incitatur ac recipit, difficilius rebus externis resistit nec raro, dum viri vita integra manet et intacta, jam noxis correpta tenetur, quae quaenam praeter cetera organa infestaturae et sibi

obnoxia redditurae sint, jam, re undique explanata atque disceptata, cuique in promptu erit.

Omnes autem morbi, quia tres tantum, e quibus omnia formantur, telae existunt [1]), sanguis scilicet, nervus et zoogenium, in his partibus efflorescere possunt, unde manent familiae haematosis, neurosis et morpharum pathologicae. Quaenam mala ad istas priores pertineant, cuique apertum est, ad morphas autem eas, ut ita dicam, nutritionis aberrationes adnumeres, quibus alienatio quaedam structurae aut organorum genitalium aut fructus ipsius, quales sunt hypertrophia, atrophia, degeneratio sexualium et ingentes illae formae fructus varietates pathologicae, paretur. Sed quum nexus, quo organa amborum systematum in his formis mutandis inter se contineantur, valde adhuc reconditus sit, hanc quidem rem omittam, aliam vero caussam multarum affectionum in utero et fructu crescente sitam fusius exponam.

Ex iis, quae in introductione de praevalentia functionum gravidarum diximus, concludendum est, longe pleraque pathemata ad nervum sympathicum, cui functiones organicae subjectae sunt, spectare et quaecunque aut sanguificationem aut reproductionem aut secretionem disturbent, ad eum, tamquam ad summum ordinatorem et gubernatorem, regredi. At quamvis sint variae noxae infestantes, quamvis com-

---

[1]) Schoenlein's Vorlesungen T. I. p. 51.

plicatae, acres, terribiles, tamen triplici tantum modo vim sympathici sensitivam, motoriam et organicam afficere possunt, namque aut eam augent, aut debilitant aut alterant. Sed plerumque functiones noxis irritatae initio adaugentur, tum irritamentis perdurantibus e contrario deminuuntur et variantur, quod e constitutione necessarie cum graviditate conjuncta evenire videtur. Nam non solum vis organica gravidarum e causis jam supra memoratis, verum etiam et sensibilitas et motilitas, quantum per nervum sympathicum licet, valde elevata sit oportet. Quomodo enim fieri possit, ut gravida, quae natura tamquam ad plura extrinsecus in se recipienda destinata, ideoque rebus externis et bonis et malis crebrius et facilius exposita est, bona convalescentia atque integra hac evolutione egrediatur, nisi vis recipiendi et, quae bona malave sint, distinguendi ei insita atque innata sit? Quantopere motus increscant, cuique inter partum ipsum aperitur. Sed uti omnino vires humanae irritamentis externis, ne in discrimine cum iis succumbant et pereant, crescunt et convalescunt et semper fere summo studio summaque intentione noxis sese opponunt, item gravidarum initio augentur et reagunt; deinde demum aut debilitantur aut prorsus franguntur. At functiones gravidarum ostendant sive auctam sive minutam sive permutatam resistentiam, in eo tamen consentire videntur, quod ferme omnes summam in organis chylopoëticis afficiendis vim exercent. Id praeter

nexum organorum physiologicum supra adumbratum ex duabus caussis, anatomia et multo magis ipsa pathologia gravidarum intelligere licet.

SECTIO ANATOMICA.

Si ad sexualium formationem, qualis in pristina embryi aetate conspicitur, recedimus, uti in longe frequentissimo vertebratorum numero [1], sic etiam apud utrumque sexum et virilem et muliebrem du ctum infimum organis chylopoëticis, genitalibus et urinariis communem sive cloacam [2] invenimus. Brevi vero post suum quodcunque systema ductum excretorium obtinet, quod, quomodo fiat, diversissima ratione ab J. Muellero [3], Valentin [4], Rathke [5] observatum est. Hunc primae formationis nexum magis e forma sexualium quam iconibus microscopicis ductus jam Joerg [6], cognovit, qui propter similitudinem, quam canalis Fallopii, uterus, vagina, labia pudenda et clitoris cum systemate intestinali

---

[1]) Entwickelungsgesch. der Säugethiere und des Menschen von Th. L. W. Bischoff. p. 372.

[2]) Bildungsgeschichte der Genitalien von J. Mueller. §. 125.

[3]) loco citato.

[4]) Entwickelungsgeschichte Seite 417.

[5]) Abhandlung I. Seite 57.

[6]) Handbuch der Krkht. des Weibes von J. C. G. Joerg. §. 13.

praebet, eandem caussam, quae in hoc, etiam in genitali formando fuisse opinatus est. Nec injuria: multa enim mammalia, uti marsupialia, hanc formae similitudinem per totam vitam luculentissime servant; eorum genitalia itidem ac chylopoëtica sunt vermiformia et motus ad fructus expellendos observantur peristaltici. Per ceteros vero ordines gradatim organa variantur usque ad completam humanae feminae formam; dico enim de gliribus et ruminantibus, quorum alterae adhuc bicorporatum, alterae tantum bicornem uterum possident. Haec organorum pristina conjunctio in opinione nostra comprobanda non parvi momenti mihi videtur; nam nunquam, quantacunque postea sit singularum partium mutatio, desinet nec hoc arctissimum vinculum natura ipsa inditum dirumpi ac frangi poterit. Huc addas ipsam nervi sympathici abdominalis ingentem evolutionem, quae viam ab altero ad alterum systema tamquam praemunire ac servare videtur. Nec minus sympathia pathematum sexualium cum urinariis hac evolutione elucet. Itaque legem universalem pathologicam, qua affectiones unius partis, si aut longius latiusque egrediuntur, aut metastasi vel metaschematismo dislocantur, praecipue anatomice conjunctas corripiant, nullibi nisi hic rectius ac verius promulgare possumus.

SECTIO PATHOLOGICA.

Si quidem jam ea, quae anatomia et physiologia edocti scimus, quemque diligentem morborum gravidarum investigatorem monent permagnam inter haec systemata consensionem vita durante exstare, symptomatibus ipsis ac decursu eorum tam luculenter nobis persuadetur, ut diutius de hac affinitate nemo dubitare atque haesitare possit, quod ad contestandum nihil aptius mihi videtur quam ipsa singulorum hysteriae signorum brevis recensio; quae etsi non omnia, tamen pleraque vel gravia vel levia chylopoëtica affecta esse testantur. Jörg tubum intestinalem semper in hysteria praegravari nec ullam unquam sine affectionibus intestinalibus existere contendit [1]). Sentiunt laborantes primum quidem compressionem vel etiam demissionem uteri aut ovarii, dolores in regione hypogastria, lumbali, inguinali acres, pungentes, tendentes, uti paroxysmo crescente huc et illuc curventur, validissime manibus ad dolores leniendos mitigandosque partes comprimant, ac multis modis vexentur et concutiantur; deinde in longe plerisque casibus globus ille hystericus ascendit ad intestina abdominalia, saepius etiam usque ad pharyngem ipsam, qua re certissime viam ascendentis mali dignoscere possumus. Spasmi enim intestinorum et tenuium et

---

[1]) Handbuch der Krkh. des Weibes, von J. C. G. Jörg. §. 13.

crassorum, gastrodynia, cardialgia, borborygmi, nausea, ructus, vomiturítiones, pyrosis, ardor oesophagi et pharyngis secretione acidi vel amari muci conjunctus, praecordiorum anxietas, fames canina, flatulentia, rarius etiam tympanitis re vera sufficiunt ad rem dilucidandam. Nonnunquam vel ii paroxysmi, qui aliis in partibus decurrerunt, flatibus aut etiam depositione alvi antea graviter obstipatae solvuntur et determinantur. Hanc ingentem sympathiam intelligentes alii commemorant enteropathiam, colicam, flatulentiam, alii gastropathiam, pharyngopathiam, dysphagiam, alii aliam affectionem, hystericam nec tamen quisquam caussam hujus morbi alio in loco quam in ovario aut in utero positam esse non credit. At si quis isti oponioni repugnaturus alia quoque organa exacerbatione hysterica corripi et conquassari existimat, id tamen cum Joerg concedet nulla crebrius et diutius quam chylopoëtica; alia autem, uti pectus, caput, medullam spinalem tum maxime, quando paroxysmus admodum vehemens exoritur. Praeterea aliis quoque ex caussis haec refutatio vana redditur. Primum quidem in quovis paroxysmo nervoso ad summum gradum evecto, in epileptico non minus atque hysterico eradiatio neuralgica ad propinquas partes minus apte observatur, quia omnia irritamenta aut ad medullam spinalem aut ad cerebrum retropulsa per reflexionem transferuntur ad diversissima organa, ad musculos modo extremitatum, modo dorsi et masticationis, modo

ad pectus et cor. Itaque melius consensum in levioribus affectionibus cagnoscemus, quibus dolores vel spasmi intestinis abdominalibus, oesophago, pharyngi tamquam obrepunt et ubique alterationes functionum provocant. Deinde non solum sub initium, sed sub finem quoque vel acerrimae exacerbationis chylopoëtica affecta videmus. Denique idiosyncrasia ista [1]) hystericis ac gravidis propria sensibilitatem ventriculi variatam, alienatam, corruptam ostendit; aliae enim alia nutrimenta deglutire ac ventre retinere non possunt, aliis medicamenta modica irritationes, uti venenis exortas, excitant. At quamquam gastricae affectiones longe frequentius morbis sexualibus superveniunt, tamen alias prorsus omnes denegare ineptum foret. Alia enim gravida laborat cephalalgia et obfuscatione capitis, quae signa in quaque graviditate certis vicibus recurrere solent; alia peculiaribus iisdemque typicis cruciatur, quorum exemplum praeclarissimum Cel. J. H. Schmidt in scholis suis clinicis de muliere, quae, quotiescunque enitebatur, eodem gignendi momento una cum infante catalepsi tenebatur, enarravit, et singula Esquirol memoriae prodidit [2]). Id tantum evincere voluimus gastricam consensionem cuique alii praevalere ac praeponendam esse. Si igitur haec argumenta cum iis compono, quae viri rerum

---

[1]) Canstatt T. III. p. 425.

[2]) Esquirol über Geisteskrkh. T. I. p. 42.

medicarum peritissimi tam saepe observabant, nullum organon utero laborante ventriculo crebrius affici[1]) neque quidquam in uteri malis sanandis majoris momenti esse quam curam ad alvi excretiones adhibitam [2]), semper verior ista sententia de connexu amborum systematum pathologico esse nec, qui aliter opinetur, satis accurate et diligenter ejus caussas investigasse et indagasse videtur. Nam qui recte scire velit, quaenam organa prima, quae deinde sive per antagonismum sive per consensum noxis succumbant, is sane, quae sequuntur, secum reputet:

1. Quomodo organa inter se habeant et quibusnam vinculis teneantur.
2. Ad functiones vel energias partium respiciat. Nam quum inter graviditatem vis formandi et alendi, postea vero secernendi succos aucta occurrat, eodem gradu, quo ista crescit, quaecunque alia deminuetur.
3. Non omittendae sunt praedispositiones quaedam organorum prioribus morbis genitae.
4. Varietates ipsae noxarum, quae non omnes eodem modo eademque systemata afficere possunt, perscrutandae.

---

[1]) J. P. Frank, Behandlung der Krankheiten des Menschen, übersetzt von J. F. Sobernheim. T. II. p. 139.

[2]) Canstatt T. IV. Sct. 3. p. 880 — 881. Ibidem p. 884 §. 23.

5. Denique ex ipsis juvantibus et nocentibus de morborum loco ac propinquitate optime docemur.

Nec minus raro gravidarum morbi haemorrhagiae, congestionis, vel etiam inflammationis speciem prae se ferunt propterea, quod non solum arteriarum, si cum viris comparaveris, lumen, exceptis illis ab hypogastria ad partes genitales proficiscentibus, multo magis coarctatum earumque multitudo, quae ad uterum ejusque viciniam decurrunt, longe major invenitur; sed praecipue quod cordis ictus, ut jam supra monui, accelerati, sanguinis ubertas admodum aucta maximeque propter pulmonum parvitatem in abdominis et pelvis visceribus coacervata ejusque copia fere exuberans fortius validiusque promovetur. Qua ex re intelligimus, cur jam moliminibus menstrualibus, uteri fluxus vel antecedentibus vel comitantibus aucta cordis pulsatio arteriarumque oscillatio superveniat, et tam saepe sanguine vehementius in circuitum acto organa sexualia afficiantur. Id vero, quod inter periodos menstruales videmus, inter graviditatem et puerperium longe evidentius ex magnitudine et multitudine haemorrhagiarum, e restitutione et valetudine, quibus ex pulmonibus, cute, aliis partibus laborantes gaudent, ex difficultate et retardatione, qua ossium fracturae curantur, aliis iisdemque rebus permultis elucet, quae omnia, nisi minuto sanguinis vel nutrimenti affluxu, cogitari nequeunt. Haec autem hyperaemia quamvis sanguine aequaliter ubique distributo per semet ipsam inter morbos

referri nequeat, tamen summam continet proclivitatem ad morbos eliciendos, sive imminuta, retardata, cohibita uteri evacuatio, sive, si sanguis in abdominis aut pelvis vasis copiosior jam est, aut ad ea, utero vacuo facto, uberius ferri coepit, aut subito repellitur et repentina metastasi rapidoque motu in debiliorem aliquam partem impetum facit. Tum sane ex iis, quae inaequalis sanguinis distributio inaequalisque ejusdem motus et vis efficere consueverunt, ne gravissimum malum aliquod continuo existat, admodum timendum est, uti sunt pectoris oppressiones, anxietates, suffocationes, capitis perturbationes, cephalalgiae, vertigines, aliae terrificae affectiones. Saepius etiam et haemorrhagias et metastases istas repentinas comitantur et subsequuntur motus clonici sive convulsivi, totum corpus vel alternas partes alternis contractionibus et relaxationibus conquassantes, nervorum rigores sive spasmi, animi deliquia, lipyria, syncope, mors ficta aut vera. Saepissime tamen, etsi non tantopere, quam ista multo nobiliora organa, puta cerebrum, medullam spinalem, pulmones, chylopoëtica affici paene omnes inter se consentiunt. Unde Siebold [1]), gravissimus et experientissimus hujus rei auctor, sententiam promulgavit, vomituritionem, ructum, nauseam, quae, quanta sit ventriculi irritatio doceant, tam saepe et communiter exoriri, ut multis

---

[1]) T. II. Sct. I. §. 1.

medicis satis argumento sint graviditatis incipientis, eaque symptomata tantum apud gravidas bene et valide constitutas, diligentes laboresque amantes, sed neque noxis neque tempestatibus expositas, summa digestionis et assimilationis vi ac virtute instructas non cerni. Eaedem similesve affectiones gastricae etiam sub finem gestationis et inter partum frequentissime et tam solitae observantur, ut facillime ad opinionem perducamur naturam medicatricem et adjutricem vomituritionibus ad actionem partus accelerandam uti; nec raro praesertim dolores partus si sunt aut debiliores, aut spastica vel rheumatica affectione alienati et infirmati, ipsum emeticum ad contractiones uteri revocandas adhibeamus. Ut igitur uteri pathemata ad ventriculum et intestinum recurrunt, ita ex hoc illum regimus et tamquam cohibemus. Unde ista sanguinis fluxio et volubilitas, ingens ad oscillationes irregularitatesque, stagnationem et inflammationem proclivitas oriatur, et quomodo eveniat, ut maxime ventriculus et intestina vel levissimis liquorum aberrationibus afficiatur, neminem, si semel tantum vasa sanguifera ovarii, tubae, uteri et vaginae vel obiter conspexerit, unquam fugiet. Vasa enim omnia tam tumida, tensa, completa distinentur, ut, nisi apud virgines pars eorum abundans menstruatione corpore hac copia fere oppresso excuteretur, apud gravidas ad foetum alendum permultosque humores praeparandos adhiberetur, saepe morbi gravissimi, celerrime

etiam malo cum omine decurrentes exorirentur. Nec tamen liberae sunt morbis teterrimis; quis enim virginum pallorem istum ac lentorem, istam anaemiam et emacerationem cum tumoribus hydropicis conjunctam, laxitatem et atoniam utpote signa ista metuenda phthisis ac jam urgentis virium dissolutionis vitio corruptae chylificationis, mensium aeque ac graviditatum incipere non viderit? Quoties et quam cito haemorrhagiae istae e naribus, pulmonibus, ventriculo, intestinis vitam aut prorsus rapuerunt, aut minimam reliquerunt? Sed cum in his casibus sanguinis fluxus impeditus, aut acceleratus sine ordine ac lege modo haec, modo illa organa destruere videatur, nobis, quantum possumus, de hac re dicendum est.

Canstatt [1]) catameniis repente suppressis statum biliosum atrocissimum multo saepissime exortum se vidisse dicit; alii haematemesin, alii haemoptysin, alii alia mala, quae omnia necessitate quadam mihi quidem evenire videntur. Nam primum quidem quisque recordetur quaeso, initio mensium et inter gestationem ad uterum ejusque partes appositas omnia confluere, postea autem ab eo aut tardius aut celerius refluere; esse igitur vim quandam primo centripetam, tum centrifugam, qua sanguis et incitetur et revocetur. Inde sequitur tempore quodam vim istam, quae, quia nutritioni et repro-

---

[1]) T. IV. Sct. 3. §. 128.

ductioni inservit, jure organica vocari potest, intendi, alio subsequente pedetentim relaxari; intenditur vero, quod gravidarum et menstruantium lassitudine, ignavia, animi et corporis depressione, comprobatur, si deminuitur vis animalis, quae graviditate et menstruatione superata denuo vigere ac pollere incipit. Qua de caussa, si conjecturae quid dandum sit, crescentibus functionibus uteri morbi vitae organicae, decrescentibus animalis praevalentes mihi videntur, quod brevi quidem et obiter, at haud obscure Siebold [1]), tangit. Neuralgiae enim, inquit, et spasmi hysterici post conceptionem evanescunt ac saepe hystericae nunquam melius se habent quam inter graviditatem. Etiam Busch epilepsiam inter partum saepissime repressam esse ac silere observavit [2]). Tum vero, quod non minoris momenti est, eas partes, quarum in viciniam, aut in quas ipsas sanguis retunditur, praecipue laesionibus expositas esse et post graviditatem pulmonum mammarum, cutis, uteri ipsius, ante eam tubuli digestorii gravedines praeponderare nemo infitiabitur. Denique e sola nervi sympathici inter ventriculum et uterum consensione omnibus nota, quia quaeque cordis contractio sanguinisque a corde propulsio sympathici imperio subdita est, satis superque opinio nostra consequitur et confirmatur.

---

[1]) T. I., §. 42.

[2]) Lehrbuch der Geburtskunde vom Jahre 1829. §. 342.

De situ uteri et fructus.

Permultae etiam anomaliae functionum vitalium uteri descensu et ascensu pro variis mensibus gignuntur, quae minus minuto principii nervi sympathici affluxu sanguinisve inaequali distributione, imo saepissime intestinorum abdominis compressione et dislocatione intelliguntur. Cognitum enim est mala ista statim evanescere, simulac situs uteri et fructus mutetur, quod aut natura ipsa crescente graviditate, aut a nobis artis obstetriciae regulis perficitur. Exinde nausea et vomituritiones, tensio ac compressio ventriculi, tamquam altius in cavitatem imi ventris detraheretur; quae secundo mense observantur, jam tertio et quarto desinunt. Quae nunc sequuntur functionum laesiones ingenti uteri expansioni tribuendae sunt; omnia enim intestina huc illuc detruduntur, nonnulla retrorsum, alia supine, alia ad latera reclinantur, quare, nisi gravida optime constituta et formata est, nisi cavitates abdominis et pelvis magnae et amplae sunt, istae affectiones modo spasticae et colicae, modo functiones deprimentes oboriuntur; quae, nisi fructu emisso et utero rursus retracto, non desinunt. Praecipue autem abdomine laborant mulieres parvae, curvatae et eae, quae habitum virilem, amplum scilicet thoracem, angustum et breve abdomen, coarctatam ad latera pelvim ostendunt; non minus illae corpore bene exstructae, si octavo vel nono mense fundus

uteri ad hypochondrium sinistrum vergit, si ventriculus nimia sensibilitate praevalet et iste uteri situs rebus externis sive consuetudine in hoc latere dormiendi sive compressione vestimentorum augetur [1]), quibus rebus acerrimae pectoris oppressiones et anxietates, nec raro motu sanguinis impedito ejusque distributione inaequali reddita haemorrhagiae ventriculi et narium existunt. Similia pathemata, utero decimo mense rursus descendente, provenire solent, quorum frequentissima sunt obstructiones alvi et impeditae urinae excretiones. Sed hanc materiam fusius et planius in libris obstetriciis et gynaecologicis tractatam omittam; id solum explicata nostra sententia et jam absoluta in memoriam revocari velim, nos tantum abesse, ut quemcunque alium praeter significatum malorum inter graviditatem et post eam nexum infitiemur, ut ea modo, quae tam saepe libris pathologicis leguntur, hoc libello, quantum in nobis erat, explanaremus et illustraremus.

---

[1]) **A. E. v. Siebold.** T. I. §. 57.

VITA.

Natus sum ego, Bernhardus Zielenziger, fidei veteri addictus, Arneburgi, provinciae Saxoniae oppido, anno h. s. vicesimo, patre Abrahamo, matre Jeannetta e gente Levy, quos adhuc vivos summo amore amplector. Litteris imbutus sum in gymnasio Postampiensi, Cel. directorum Blume et Riegler auspiciis florente, unde, examine absoluto, maturitatis testimonio instructus Berolinum me contuli. Hic anno h. s. XLII. civibus almae universitatis ab Ill. Dieterici, t. t. Rectore magnifico, adscriptus et apud Ill. Juengken, medicorum ordinis t. t. Decanum maxime spectabilem, nomen professus sum. Intra quadriennium his scholis interfui:

Ill. Hecker audivi de encyclopaedia et methodologia medicinae et de pathologia therapiaque generali disserentem; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia et splanchnologia; Ill. Mitscherlich de chemia experimentali et anorganica et organica; Ill. Schultz de botanice; Ill. Dove de physice experimentali; Ill. Trendelenbürg de logice; Beat. Steffens de psychologia; Ill. Weiss de mineralogia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Mueller de anatomia generali et speciali organorumque sensuum, de physiologia hominis speciali et generationis, de anatomia comparata et

pathologica. Artem cadavera rite secandi me docuerunt idem Ill. Mueller et Schlemm; materiam medicam Ill. Mitscherlich; pathologiam et therapiam specialem Ill. Romberg; artem fasciarum applicandarum Cel. Troschel; artem obstetriciam Cel. Schmidt; operationes ophthalmicas Exp. Angelstein.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, ophthalmiatricis, obstetriciis, syphiliticis virorum Ill. et Cel. Barez, Wolff, Schoenlein, Romberg, Juengken, Dieffenbach, Schmidt, Busch interfui.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis gratias ago quam maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec minus examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Quid ulcus sit, nisi ad penitiorem ejus structuram et liquorum secretorum compositionem chemicam respicias, constitui non potest.

2. Medicorum sententia, secundum quam aegrotis ex teterrimis maximeque dolorificis malis laborantibus vitam breviorem, sed dolore vacantem paremus, cum legibus humanis non convenit.

3. Operatio carcinomatis certissime cogniti collaudari nequit.